

Silvo Kopriva:

CARAM HANC EFFIGIEM AMPLECTUNT OCULI

Insigni tabulae libenter adsto,
Cuncta in qua regio Slovena picta est,
Caram hanc effigiem soli paterni
Amplectunt oculi calore vivo.

Nota nomina sunt mihi legenti,
Perlustrat loca nota mens volutans
Inque iis breviter manet recordans
Grate et sic tabula pererrat omni.

Obtutus sed ibi meus resistit
Semper rursus, ubi mihi incitato
Maxime legitur suave nomen.

Nomen illius est loci, puella,
Nunc ubi pateris memorque vivis
Tu mei domus et tibi paterna est.

Josip Stritar:

SMREKA — AD PINUM

Pulchra, pinus, arbor es,
Pulchra, Maius cum nitet;
Et cum te nives tegunt,
Nonne nostra lumina
Spectant te lubentia?
Orbe cum flatus fremit,
Horrent cuncta frigore,
Arbores sunt ceterae
Nudae, tu vires vicens.

Ljubljana.

Vertit: *S. Kopriva*